

natis affectibus: non enthusiasticis raptibus: sed certis testimonijs ac indicijs de voluntate Dei opus est.

52. Patet ex quaestione huius decisione, quid de operibus & cultibus humanitus excogitatis sit statuendum: nempe eorum, quippe à Deo non praeceptorum, observatione nos minimè teneri: Sed tanquam Idololatricos ex ore Prophetarum detestari. 1. Sam. 15, 23, Mich. 6, 16. &c.

53. Adstipulatur Christus huiusmodi εἰδωλοθησκείαις frustra Deum coli, asserens: Matt. 15, 9. Cui subscribit Apostolus Coloss. 2, 22.

54. Faceffat igitur impius Canon Concilij Tridentini, Pontificis Romani iussa, praeceptis Decalogi: statuta Ecclesiastica legibus divinis equiparans Sess. 6. cap. 11.

55. Faceffant nugae de operibus ex bona intentione sine Dei verbo excogitatis: imprimis verò faceffat execranda illa amentia, quam in constituendis praeceptis & consilijs Evangelicis Sophistae Pontificij audacissimè prodiderunt.

56. Excogitarunt enim illi duodecim consilia, quae quis negligens, pœnam non incurrat: Siquidem ad observationem sui neminem illa obligent: sed sint ἀδιάφορα & indifferentia: Observans verò praeium & coronam mereatur. Qualia sint. 1. Paupertas. 2. Abnegatio sui: hoc est Monachatus. 3. Cœlibatus. 4. Non retribuere

bucro